« crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fun-
« damento fidem quam profitentur ». Haec plane sunt in quae ultimo resolvitur vera ac solida credibilitas fidei nostrae [1]. Nec

[1] Nota bene, sensum huius assertionis non esse quod ex convenientia doctrinae seu religionis christianae cum aspirationibus animae, ex summa eiusdem adaptatione ad necessitates vitae etiam quae nunc est, ex efficaci remedio quod nata est afferre malis socialibus, aliisque similibus considerationibus, nequeant trahi efficacia subsidia quibus alliciantur homines ad fidem, destruantur praeiudicia, et disponantur corda ad susceptionem veritatis. Absit sane, absit. Sed sensus est quod in eiusmodi convenientiis doctrinae christianae cum naturae humanae conditionibus, formaliter qua convenientiae sunt, nusquam reperire est motivum sufficiens verae credibilitatis. Motivum enim fundans credibilitatem *in ordine ad fidem quae Dei revelantis auctoritati nitatur*, nec est nec esse potest nisi motivum ducens nos ad iudicandum quod Deus est locutus, et revelavit christianam religionem. Id quidem patet in terminis. Iam vero iterum a te quaero ubinam sit nexus inter adaptationem doctrinae cuiuspiam ad naturales aspirationes, et originem illius a Deo revelante? Sane locutio seu revelatio Dei est factum supernaturale, et factum supernaturale quod non est quoad nos in se noscibile. Indiget ergo sigillari et authenticari aliis supernaturalibus factis quae signorum valorem habere queant, utpote exposita experientiae et aestimationi nostrae, tam in sua relevantia supra naturae ordinem, quam in sua connexione cum ipsa revelatione signanda. In eiusmodi igitur factis, iisque solis, quaeri poterunt obiectiva exsistentiae revelationis argumenta. Et si ex intrinsecis characteribus doctrinae christianae rationes sumere placet, adhuc accipienda erit haec doctrina instar facti, de quo demonstretur quod non habet in naturae viribus rationem sui sufficientem, possibilemque explicationem. Sed quia huiusmodi demonstrationis ratio nimiis scatet difficultatibus quam ut communi hominum captui sit proportionata, ideo Vaticanum docet externa revelationis argumenta esse *facta divina, atque imprimis miracula et prophetias*. Ubi principem locum attribuit miraculis et prophetiis, praecise quia certiora quoad nos signa sunt, *et omnium intelligentiae accommodata*. Caeterum, sive ad miracula et prophetias recurras, sive ad alia quae sub his nominibus recenseri non solent, semper oportet te in ordine *factorum divinorum* qua talium consistere.

At dices: Spiritus modernus iam non recipit miracula. — Respondeo primo: Etiam cum Christus Dominus in terris versabatur, spiritus modernus huius temporis miracula non recipiebat. *Cum autem*, inquit Ioan. XII-37, *tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Quo

alia de causa adversarius ille, Christi et redemptae ab eo humanitatis hostis pessimus, serpens antiquus, omnes adhibet artes ut in haec tenebras suorum sophismatum offundat, ut ab his tranquillam mentis considerationem avertat, denique ut de his tanquam de rebus scientificae methodo prorsus alienis praeiudicatam opinionem undique spargat. At proprius locus expositionis eorum est in tractatibus de Vera Religione et de Ecclesia, et ideo nihil aliud nunc restat nisi ut satisfiat nonnullis argumentis ex quorum solutione pendet plenior praesentis doctrinae intelligentia.

§ 4.

Obiicitur primo contra sufficientiam certitudinis respectivae: *Maximum esse inconveniens, quod certitudo eiusmodi, utpote innixa auctoritati humanae parentum vel institutorum, tam de falsis quam de veris articulis esse possit. Unde, si respectiva certitudo ad credibilitatem sufficeret, sequeretur articulos etiam falsos fore quandoque fide divina credibiles, quod absit.*

tamen non obstante, Christus non desistebat appellare ad sua miracula tanquam ad praecipua motiva credibilitatis, aiebatque Ioan. XV, 22-24: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.* — Respondeo secundo: Etiam cum Christus Dominus in terris versabatur, utebantur quidam methodo immanentiae, parati agnoscere Messiam pro quanto inveniretur satisfacere autochtonis aspirationibus Israel. Unde legimus Ioan. VI-15, quod *venturi erant ut raperent eum et facerent eum regem*. Quo tamen non obstante, Christus asseveranter declarabat methodum hanc non ducere ad veram fidem theologalem, cuius motivum sit Dei revelantis auctoritas. *Quaeritis me*, aiebat ibid. 26-36, *non quia vidistis signa... Dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis.* — Respondeo tertio: Si spiritus modernus non recipit miracula, in hac sua duritia non debet magis magisque confirmari, praesertim per sacerdotes quibus ex officio incumbit fidei praedicatio necnon et defensio. Multoque minus debet ille spiritus approbari, propagari, et inspirari iis qui aliunde ab eo essent immunes. Sic enim ducuntur animae ad perditionem, nedum ad salutem. Denique piscatores hominum non sunt qui condescendunt mundo dicenti. *Loquimini nobis placentia*, ut habetur Isai. XXX-10.

COROLLARIUM

Ex praeasserta necessitate certi iudicii credibilitatis nequaquam consequitur quod ii qui semel a Deo caeleste fidei donum perceperunt, possint unquam habere iustam causam aut recedendi ab assensu in veritates a Deo revelatas, aut eas in dubium revocandi donec demonstrationem scientificam de veritate fundamentorum suae fidei ipsi absolverint. Sed habita interim ratione conditionis longe disparis tum eorum qui ex ignorantia invincibili falsis haereticorum aut schismaticorum sectis more patrio adhaeserunt, tum eorum qui sub sanctae matris Ecclesiae magisterio fidem unice veram in sua integritate edocti sunt, adhuc absolute dicendum est quod benignissimus Deus infallibiliter providet ut ii omnes quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, habeant semper unde in hoc eodem lumine absque defectione rationabiliter perseverare possint, non deserens ipse nisi prior ipse deseratur.

Ratio generalis est primo, quia sine poenitentia sunt dona et vocatio Dei, nec unquam accidere potest ut homo absque sua culpa destituatur iis quae sibi sunt necessaria ut in gratia semel accepta perseveret. Huc enim faciunt quaecumque de auxilio perseverantiae iustis omnibus dato docent Concilia et Patres ex certissimis Scripturae et Traditionis documentis. *Deus namque,* ait Tridentinum Sess. 6, c. 11, *sua gratia semel iustificatos non deserit nisi ab eis prius deseratur.* Et Augustinus l. de nat. et grat. c. 26: « Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei et « hominum hominem Iesum Christum spiritualiter sanat aegrum « vel vivificat mortuum, id est iustificat impium, et eum ad « perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam iustitiamque « perduxerit, non deserit si non deseratur, ut pie semper iuste- « que vivatur.... Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod « peccavimus, sed ut praestet etiam ne peccemus ». Porro haec doctrina plenam habet quoad fidei donum applicationem. Nam

sicut habitus gratiae appellat omnia auxilia quae homini iustificato necessaria sunt ad perseverandum, ita quoque acceptus a Deo habitus fidei exigit id omne quod ex parte divinae gratiae seu providentiae requiritur, ut nunquam in ea conditione ponatur homo, in qua, velit nolit, iam impossibile ei sit rationabiliter fidem retinere. Poneretur autem in tali conditione si invincibiliter adduceretur ad eum statum in quo sufficiens ei deesset credibilitas. Habita ergo ratione infallibilis Dei providentiae, certissime tenendum est nusquam accidere posse ut ex inculpabili carentia idoneorum motivorum, iustam quis habeat causam a fide semel suscepta et ab indubitato eius assensu, etiam ad tempus recedendi. — Accedit quod constans fidei professio, tum ad iustitiam apud Deum, tum ad salutem aeternam omnino necessaria est, teste apostolo qui ait: Sine fide impossibile est placere Deo. Insuper, ut huic obligationi constanter in fide perseverandi christianus satisfacere valeat, Deus ipse qui instat praecepto, praecurrit auxilio. « Sicut ergo secundum ordinem institutum a fidei « nostrae auctore et consummatore, ad deducendos homines in « admirabile lumen fidei, cum verbo auditus Dei coniungitur « gratia interna: ita gratia utraque, *tum externa propositionis* « *fidei, tum maxime interna,* adiuvat infirmitatem nostram ad « firmitatem et constantiam in fide iam suscepta [1] ».

Verumtamen distinctione aliqua hic opus est. Sunt enim qui post acceptum in infantia baptismum, inter haereticorum vel schismaticorum sectas adolescunt; et sunt alii qui fidem sub Ecclesiae catholicae magisterio edocti sunt. Inter quos hoc discrimen intercedit, quod hi posteriores veram fidei doctrinam in sua integritate ab ipsa vera verbi revelati magistra acceperunt; caeteri vero, simul cum quibusdam articulis veris, propositos sibi habuerunt multos articulos falsos, de quibus non potest esse theologicae fidei actus, nisi existimatus tantum. Sed et hi quoque, donec formalis incredulitatis crimine se innectant, fidei infusae

[1] Append. ad acta Conc. Vatic. Primum schema Const. de doctr. cath. c. 9.

habitum quo in valido baptismo (nullo apposito obice) ornati sunt, non amittunt.

De catholicis ergo absque ulla restrictione asserendum est, nullam eos habere posse iustam causam recedendi unquam ab ea fidei doctrina quam semel fuerunt edocti, prout ex ratione superius assignata definivit Concilium Vaticanum, cap. 3 de fide: *Benignissimus Dominus.... eos quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens nisi deseratur.* Et infra can. 6: *Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, anathema sit* (1). — De acatholicis vero dicendum quod credibilitas illa mere respectiva quam prius habuerunt de articulis falsis, potest omnino deficere, idque non solum non impediente, verum etiam procurante

(1) Configit ibi Concilium specialem errorem Hermesii qui volebat ut omnis theologica inquisitio inciperet a suspensione fidei et dubio positivo. De hoc errore dixerat Gregorius XVI: *Qui* (Hermes) *statuendo dubium positivum tamquam basim omnis theologicae inquisitionis, ad errorem omnem viam moliebatur.* De eodem haec habet annotator in primum schema constitutionis Vaticanae de doctrina catholica: « Commendat « G. Hermes catholicis suis lectoribus et auditoribus, ut dum in inqui- « sitione versantur, erga quamvis doctrinam religionis, ex. gr. catholicae « aut christianae, omnino indifferenter se habeant, sibique persuadeant, « sancte se agere sequendo rationem, quocumque demum ea deduxerit. « Porro ipse et de se testatur, et aliis commendat hanc methodum in- « quisitionis fidei: Omnibus hisce meis studiis, ait, propositum meum « sancte servavi, ubique dubitandi quamdiu possem.... Erat mihi pro- « pterea per varios anfractus dubiorum eluctandum, in quos ingredi « inutilis labor videbitur ei qui nunquam ad serium dubium progressus « est.... Fuerit optabilius, si placet, huiusmodi dubiis carere quam eis « satisfacere posse. Pro futuris doctoribus religionis hoc non valet. Ii « debent scire se nescire, ut scientiam magno studio quaerant; debent « labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragrare, ut deinde ipsi « dubitantibus per omnes anfractus comites se dare possint ».

gratia Dei, cuius est excitare et adiuvare etiam eos qui mere materialiter errant, ad hoc ut agnita Ecclesia unice vera, in eius sinum se transferant. Nusquam tamen invenire erit christianum quocumque tandem modo translatum in admirabile fidei lumen, qui in tenebras infidelitatis retrocedere cogatur, ut sinceritati bonae conscientiae faciat satis. Unde dicitur 1 Tim. I-1: *Hoc praeceptum commendo tibi, fili Timothee, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam; quam* (bonam conscientiam) *quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Et 2 Petr. II-21: *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est, sancto mandato.* — Notandum tamen est quod omnia praedicta procedunt de iis qui nondum fidei habitum amiserunt; quibus ex consequenti semper praesto adest per Dei providentiam et gratiam sufficiens pro captu suo credibilitas, nisi ipsi voluntarie despiciant veritatem. Nunc autem de iis qui semel ex propria culpa a fide exciderunt, non par atque eadem est ratio, ut scilicet dicantur semper habere in promptu, quo hic et nunc fidem denuo amplectantur. Pro eis enim de novo initianda est salutis via, et ideo tales aequiparantur infidelibus, quibus non continuo adest proxima fidei possibilitas, sed vel proxima vel remota tantum, praesertim si cum inveteratis praeiudiciis in incredulitate iam obduruerunt.

Et hucusque quidem de actu fidei quoad essentiam necnon et praerequisitum credibilitatis iudicium. Iam de eius proprietatibus agendum est, ut sequitur.

Respondeo primo, non esse simpliciter concedendum id quod in antecedente asseritur. Falsos enim articulos proponi a parentibus vel magistris, contingit tantum per accidens in regulari ordine a Deo instituto, id est quoad eos qui in sinu verae Ecclesiae educantur. Per se autem non accidit nisi in haereticorum sectis, et tunc vitium non refunditur in ordinem divinitus praestitutum, sed in solam culpam hominum qui a vera Ecclesia discedentes subtraxerunt se ab oeconomia sapientissime provisa pro dispensatione revelatae veritatis.

Sed hoc interim transmisso, respondeo secundo distinguendo consequentiam: Sequeretur articulos falsos esse aut esse posse absolute credibiles, *neg.* Respective, *subdist.* Ea fide quae in re ipsa foret verus fidei theologicae actus, *neg.* Existimatus tantum, *conc.* In quo quidem nullum invenitur inconveniens, et nequidem ex parte obligationis credendi, quia non magis repugnat ut aliquis per accidens obligetur ad credendum falsum quod falso reputat a Deo revelatum, quam ut obligetur ad faciendum id quod invincibiliter iudicat esse praeceptum, cum tamen obiective et secundum se malum sit et prohibitum.

Proinde difficultas, si qua foret, non tam esset circa propositionem falsorum articulorum ad quam sequitur fides theologica existimata tantum, quam circa propositionem articulorum authenticorum ad quam sequi debet fides theologica vera. Cum enim fides theologica sit infallibiliter vera, videretur non sufficere motivum credibilitatis tantummodo respective certum, eo quod eiusmodi motivum infallibiliter certum non est.

At facile respondetur: Sequeretur hoc, si ab huius motivi certitudine infallibilis veritas fidei theologicae dependeret, *conc.* Si dependet tantum prudentia seu rationabilitas assensus, *neg.* — Et sane in actu fidei theologicae sunt diversae formalitates distinguendae, quae etsi inseparabiliter unitae, pendent tamen ex diversis principiis. Alia formalitas infallibilis veritatis, alia formalitas conformitatis ad prudentiae dictamen: illa pertinens ad fidem quoad se, haec ad fidem quoad nos. Si ergo actus fidei penderet a motivis credibilitatis quoad formalitatem infallibilis veritatis, sic procederet argumentum, et nedum sufficeret certitudo respectiva in rudibus, nequidem sufficeret absoluta in doctioribus, quia neque haec pertingit ad infallibilitatem. At non ita est, cum infallibilis veritas aliunde repetatur, nempe a principio tum obiectivo quod est revelatio Dei vera et non tantum existimata, tum subiectivo quod est habitus supernaturalis, vel gratia eius locum tenens. Quare argumentum id unum concludit, videlicet quod supposita sola certitudine respectiva de exsistentia revelationis, potest aliquando contingere ut homo eliciat actum fidei quem reputat verum fidei theologicae actum, tametsi revera non sit. Minime vero demonstrat quod in certitudine respectiva de articulis veris non habeatur conditio sufficiens ad credendum sicut oportet.

Obiicitur secundo contra necessitatem credibilitatis in genere: *Si ad actum fidei praerequireretur iudicium credibilitatis fundatum in notitia de revelatione Dei vel absolute vel respective certa, duo sequerentur inconvenientia. Primum, quod fidei possibilitas non omnibus praesto esset. Alterum, et gravius, quod qui iam susceperunt fidem, possent aliquando iustam habere causam recedendi ab ea. Et probatur utraque sequela, quia non omnibus adest certitudo illa, etiam mere respectiva, de revelationis facto. Insuper, qui illam semel habuerunt, puta in infantia, possunt deinceps ea destitui, et quidem absque propria culpa. Non ergo ad fidei actum requiritur praevium iudicium credibilitatis.*

Respondeo quoad primum, eamdem esse solutionem adhibendam ac quae adhibetur in tractatu de gratia, ubi sermo est de voluntate salvifica, et de distributione auxiliorum salutis, videlicet: Non omnibus hic et nunc praesto esset proxima fidei possibilitas, *conc.* Nequidem possibilitas remota, per ea nempe media, quibus si bene secundum suam conscientiam utantur, infallibiliter futurum est ut aliquando ad sufficientem revelationis et credibilitatis eius notitiam per Dei providentiam adducantur, *neg.* Et explicatio pendet ex alia tractatione.

Quoad secundum vero, dico assertionem esse negandam simpliciter et absolute. Sed propter maximam rei gravitatem speciale de hoc puncto ponendum est corollarium.